

quibusque mediis utendum ipsis sit, quo incautos in suos  
 casses ipsis minimè advertentibus inducant. Præcipuè au-  
 tem tenebrarum illi Spiritus, qui tristitiæ ac Melancholiæ  
 nebulis admodum delectantur, efficere potissimum student,  
 ut humorum ad id necessariâ præparatione animos homi-  
 num mœstitiâ offundant atque aggravent, & eò suavius ho-  
 spitium sibi aperiant, in quo stabulari & suam nequitiam  
 exercere pro lubitu possint. Ignotum præterea esse potest  
 nemini; quantâ laborent suspicione, quantasque sibi exci-  
 tent anxietates ex merâ imaginatione ortas, qui in Melan-  
 choliæ semel inciderunt barathrum. Pluribus id probari  
 posset exemplis iisque sæpe ridiculis, si tantoperè necessi-  
 tas efflagitaret. Vel duobus his contentus erit Lector Be-  
 nevolus, quæ ab Autoribus fide aliàs dignissimis consigna-  
 ta sunt. Fuit aliquando quidam, qui cibum assumere re-  
 cusavit, eò, quod persuasus erat, adeò longum sibi nasum es-  
 se, qui patinam attingeret, ferculisque ita apposis conspur-  
 caretur, aut aliâ ratione damnum quoddam sustineret. A  
 quo non multum abfuit is, qui se mortuum putavit, ac pro-  
 in cibo neutiquam se indigere professus est. Conf. *Levi-  
 num Lemnium Lib. II. de Complex. c. 6. Melandrum in Jo-  
 co-Seris Tom. I. num. 459. Petrum Heigium Part. II. Quest. 38.  
 n. 41.* quos heic allegat *Zeillerus Cent. I. Epist. II. Patet ex his,*  
 quàm verè sentiant opinionis §. anteced. recensitæ Autores,  
 morbum, quem suscitârit **Diabolus**, fuisse à Melancholiâ or-  
 tum, quæ Saulem ad eas suspiciones indeque enatas anxie-  
 tates adegerit.

§. XVII. At nos hætenus dicta nondum sufficere ad ex-  
 plicandam hujus morbi conditionem existimamus, sed ita  
 sentiendum statuimus, quod **Satanas** non modò excitârit  
 apud Saulem Melancholiam & tristitiam, sed corpus etiam  
 ejus sit ingressus, adeò, ut is rectè pro **Energumeno** nãvea-